vel ſecundam Synodum ſub Symmacho, cum hac inſcriptione: *Capitula primæ Synodi Romanæ ſub Symmacho Papa.* In codice verò Canonum prænotantur his verbis: *Tituli Decretorum Papæ Symmachi numero quatuor.*

β *Si quis Presbyter.*] Hæc ſunt propria verba capitis tertii ipſius Synodi, quod eſt ſecundum in codice Canonum.

¶ PITH. [1] *Item.*] Addit vet. cod. *item in Synodo Romana reſidente Symmacho habita poſt conſulatum Paulini c. 3. & 5.*

[2] *Pyctacia.*] V. C. *pittacio.* al. *pittacium.*

[3] *Synodus.*] Addit V. C. *ſurgens, acclamavit: Placent omnia.*

III. *Item* EX CONCILIO Stephani Papæ III. *Deuſdedit addit*, habito in Baſilica Conſtantiniana, *act.* 3. [an. 769. *Romæ.*]

In Apoſtolatûs culmen nullus, niſi ex Cardinalibus promoveatur.

OPortebat [f], ut hæc ſacroſancta domina noſtra Romana Eccleſia (juxta quod à Beato Petro, & ejus Succeſſoribus inſtitutum eſt) ritè ordinaretur; & in Apoſtolatûs culmen unus de Cardinalibus Presbyteris, aut Diaconis conſecraretur.

[f] Deuſdedit *p.* 1. Anſel. *l.* 6. *c.* 25. Polyc. *l.* 1. *tit.* 4.

IV. *Item* EX EODEM. [an. 769. *ibid.*]

De eodem.

NUllus [g] umquam Laicorum, neque ex alio ordine præſumat, niſi per diſtinctos gradus aſcendens Diaconus, aut Presbyter Cardinalis factus fuerit, ad ſacri Pontificatûs honorem promoveri.

[g] Deuſdedit *ibidem.* Polyc. *ibid.* Anſel. *l.* 6. *c.* 24. S. Ant. *l.* 6. *c.* 24.

¶ CORR. ROM.] In Pontificalibus manuſcriptis uno Vaticano, & altero Cardinalis Sirleti in vita Stephani Papæ III. referendo Synodum ipſius tempore habitam, hæc leguntur ad caput hoc pertinentia: *Tunc allatis ſacratiſſimis Canonibus, eiſque liquidò perſcrutatis, prolata eſt ſententia ab eodem Sacerdotali Concilio, ſub anathemate interdicentes, ne ullus umquam præſumat Laicorum, neque ex alio ordine, niſi per diſtinctos gradus aſcendens, Diaconus, aut Presbyter Cardinalis factus fuerit, ad ſacri Pontificatûs honorem promoveri: & alia plura, quæ Canonica indigebant correctione, in eodem Concilio ſtatuerunt emendanda.*

V. *Item* EX EODEM. [an. 769. *ibid.*]

Anathematizetur Epiſcopus, Monachus, vel Laicus Romanam Eccleſiam invadens, & in gradum filiorum ejus prorumpens.

SI quis [h] ex Epiſcopis, vel Presbyteris, vel Monachis, vel Laicis contra Canonum, & Sanctorum Patrum ſtatuta prorumpens, in gradum filiorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, id eſt, Presbyterorum Cardinalium, & Diaconorum ire præſumpſerit, & hanc Apoſtolicam Sedem invadere quilibet ex ſupradictis tentaverit, & ad ſummum Pontificalem honorem aſcendere voluerit; ipſi, & ſibi faventibus fiat perpetuum anathema. & *infrà.* §. 1. Si quis reſiſtere præſumpſerit Sacerdotibus, atque Primatibus [4] Eccleſiæ, vel cuncto Clero ad eligendum ſibi Romanum Pontificem ſecundùm Canonicam [i] traditionem, anathema ſit.

[h] Deuſdedit *ibidem.* Anſel. *l.* 6. *c.* 26. & 27. In Pontificali Rom. manuſ.

[i] *al.* hanc Canonicam.

¶ CORR. ROM.] Deuſdedit Presbyter Cardinalis tituli Apoſtolorum in Eudoxia, *p.* 2. *c.* 131. refert multa ex Synodo habita à Stephano tertio; in quibus caput hoc integrum continetur.

¶ PITH. [4] *Primatibus.*] Sic V. C.

VI. *Item* EX CONCILIO Leonis Papæ IV. [an. 853. *Romæ.*]

Anathema ſit, qui Canonicæ electioni Romani Pontificis contradicere præſumpſerit.

SI quis [k] ex Sacerdotibus, ſeu Primatibus nobilibus, ſeu cuncto Clero ſanctæ Romanæ Eccefiæ, electioni Romani Pontificis contradicere præſumpſerit; ſicut in Concilio Bonifacii, & Stephani Papæ legitur ſtatutum, anathema ſit.

[k] Deuſdedit *ibidem.* Anſel. *l.* 6. *c.* 28.

VII. *Item* EX CONCILIO Bonifacii Papæ III. [an. 606. *Romæ.*]

Nullius [l] *Epiſcopi fiat electio, niſi poſt diem tertium depoſitionis alterius.*

[l] In Pontific. Rom. manuſ.

2. *Pars.*

NUllus [m], Pontifice Romano vivente, aut Epiſcopo civitatis ſuæ præſumat loqui, aut partes ſibi facere; niſi tertio die depoſitionis ejus, adunato Clero, & filiis Eccleſiæ: & tunc electio fiat.

[m] Anſel. *l.* 6. *c.* 11. Deuſdedit *p.* 1.

GRATIAN. 3. *Pars.* „ SED quæritur, ſi duo Concertantium temeritate electi fuerint, quis eorum alteri præferendus ſit? De his ita ſcribit „

VIII. HONORIUS AUGUSTUS ad Bonifacium Papam [n]. [an. 419. *Ravennâ Romam.*]

Si temeritate Concertantium duo fuerint ordinati.

SI duo [o] fortè contra fas temeritate Concertantium [p] fuerint ordinati, nullum ex his futurum penitùs Sacerdotem; ſed illum ſolum in Sede apoſtolica permanſurum, quem ex numero Clericorum, nova Ordinatione Divinum judicium, & univerſitatis conſenſus elegerit.

[n] In tomis Conciliorum inter Epiſtolas Bonif.

[o] Infrà *diſt.* 97. *c. Victor Honorius.* Anſel. *l.* 6. *c.* 17.

[p] Certantes. *orig.*

„ HOC autem Capitulum non de eo intelligendum eſt, qui uno per apoſtaſiam ordinato, à Cardinalibus, & religioſis Clericis Apoſtolicæ Sedi inthronizatur; etiam ſi ille apoſtaticus ita Cathedram Beati Petri violenter tenuerit, ut Canonica electio intra Urbem fieri non valeat. Unde ſtatuit, dicens „ GRATIAN. 4. *Pars.*

IX. NICOLAUS Papa II. in Concilio Romano [q]. [an. 1059. *Romæ.*]

[q] In fine.

De eo, qui per pecuniam, vel populari tumultu, non Canonica electione ordinatur.

SI quis [r] pecuniâ, vel gratiâ humanâ, vel populi, ſeu militari tumultu, ſine concordi & Canonica electione, ac benedictione Cardinalium Epiſcoporum, ac deinde ſequentium ordinum religioſorum Clericorum fuerit Apoſtolicæ Sedi inthronizatus, non Apoſtolicus, ſed apoſtaticus habeatur, liceâtque Cardinalibus Epiſcopis, cum religioſis, & Deum timentibus Clericis, & Laicis invaſorem etiam cum anathemate, & humano auxilio, & ſtudio à Sede Apoſtolica repellere, & quem dignum judicaverint, præponere. Quòd ſi hoc intra urbem perficere nequiverint, noſtra autoritate Apoſtolica congregati in loco, qui eis placuerit, eligant quem digniorem, & utiliorem Apoſtolicæ ſedi perſpexerint; conceſſa ei autoritate regendi, & diſponendi res, & [ſ] utilitatem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ſecundùm quod ei melius videbitur juxta qualitatem temporis, quaſi jam omninò inthronizatus ſit.

[r] Sup. ferè idem, *diſt. eâd. c. ſi quis Apoſtolicæ.* Anſel. *l.* 6. *c.* 16. Polyc. *l.* 1. *tit.* 4. Ivo, *p.* 4. *c.* 8.

[ſ] *al.* in.

„ ELECTIO verò Romani Pontificis etiam cum deliberatione Prædeceſſoris fieri debet. Unde ait „ GRATIAN. 5. *Pars.*

X. SYMMACHUS Papa in Synodo Romana I. *c.* 4. [an. 499. *Romæ.*]

Si Papa de electione ſui Succeſſoris antè decernere non potuerit.

SI tranſitus [t] Papæ (quod abſit) inopinatus evenerit, & de ſui electione Succeſſoris (ut ſuprà placuit) non poſſit antè decernere; ſi quidem in unum totius inclinaverit [u] Eccleſiaſtici ordinis electio, conſecretur electus Epiſcopus. Si autem [5], ut fieri ſolet, ſtudia cœperint eſſe diverſa eorum, de quibus certamen emerſerit, vincat ſententia plurimorum; ſic tamen, ut Sacerdotio careat, qui captus promiſſione, non recto judicio de electione decreverit. Synodus dixit, placet, &c.

[t] Deuſdedit *ibidem.* Polyc. *ibid.* Anſel. *l.* 6. *c.* 1. Pann. *l.* 3. *c.* 2.

[u] *al.* convenerit.

¶ PITH. [5] *Si autem.*] V. C. *ſi enim.*

„ SICUT ſuprà monſtratum eſt, electio ſummorum Sacerdotum à Cardinalibus, & religioſis Clericis fieri debet; ejectio verò eorum, judicio Divino reſervata eſt. Unde ait „ GRATIAN. 6. *Pars.*

XI. ANACLETUS Papa ad Epiſcopos Italiæ, *Epiſt.* 2. *c.* 2. [c. an. 103. *Româ in Italiam.*]

Summorum Pontificum ejectionem ſibi Dominus reſervavit.

EJectionem [x] verò ſummorum α Sacerdotum ſibi Dominus reſervavit, licèt electionem eorum bonis Sacerdotibus, & ſpiritualibus populis conceſſiſſet.

[x] Ivo, *p.* 5. *c.* 138.

¶ CORR. ROM. α *Summorum.*] ſequebatur, *Pontificum vel Sacerdotum.* Sublatæ ſunt duæ priores voces, quia neque in originali, neque apud Ivonem, neque in vetuſtis Gratiani exemplaribus leguntur.

QUIBUS LOCIS PRÆLATI ECCLESIÆ PRÆFICIANTUR.

DISTINCTIO LXXX.

„ LOCA verò, in quibus Primates, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Presbyteri ſunt ordinandi; hæc ſunt ſecundùm Lucium Papam, & Clementem, atque Anacletum. Ait enim „ GRATIAN. 1. *Pars.*

I. LUCIUS Papa [a]. [immò Stephanus I. c. an. 255. *Româ ad omnes Epiſcopos.*]

[a] Extat apud Stephanum I. *Epiſt.* 1. *c.* 5.

In quibus locis Primates, vel Patriarchæ debeant ordinari.

URbes [b], & loca, quibus Primates præſidere debent, non à modernis, ſed etiam multis ante adventum Chriſti ſunt ſtatutæ temporibus; quarum Primates etiam gentiles, pro majoribus etiam negotiis appellabant. §. 1. In ipſis verò urbibus poſt Chriſti adventum, Apoſtoli & Succeſſores eorum, Patriarchas, vel Primates poſuerunt, ad quos Epiſcoporum negotia (ſalva in omnibus Apoſtolica autoritate) & majores cauſæ, poſt Apoſtolicam Sedem ſunt referendæ.

[b] Anſel. *l.* 6. *c.* 118.

II. *Item* CLEMENS Papa I. ad Jacobum, *Epiſt.* 1. [c. an. 68. *Româ Hieroſolymam.*]

De eodem.

IN illis [c] verò civitatibus, in quibus olim apud Ethnicos primi Flamines [d] eorum, atque primi legis Doctores erant, Epiſcoporum Primates poni, vel Patriarchas Beatus Petrus præcepit, qui reliquorum Epiſcoporum cauſas [e], & majora, quoties neceſſe foret, negotia in fide agitarent. & *paulò poſt.* §. 1. In illis autem civitatibus, in quibus dudum apud prædictos erant Archiflamines, quos tamen minores tenebant, quàm memoratos Primates, Archiepiſcopos inſtitui præcepit. & *infrà.* §. 2. In ſingulis verò reliquis civitatibus ſingulos, & non binos, vel ternos, aut plures Epiſcopos conſtitui præcepit, qui non Primatum, aut Archiepiſcoporum, aut Metropolitanorum nomine, quia matres civitatum non tenent, ſed Epiſcoporum tantùm vocabulo potirentur: quoniam nec inter ipſos Apoſtolos par inſtitutio fuit: ſed unus omnibus præfuit.

[c] Leo IX. *Ep.* 3. Polyc. *l.* 2. *tit.* 22. Burch. *l.* 1. *c.* 255. Anſel. *l.* 6. *c.* 113.

[d] *al.* Archiflamines.

[e] judicia. *orig.*

III. *Item* ANACLETUS *Epiſt.* 3. *c.* 2. [c. an. 104. *Româ ad omnes Epiſcopos.*]

De eodem.

EPiſcopi [f] non in caſtellis, aut modicis civitatibus debent conſtitui: ſed Presbyteri per caſtella, & modicas civitates, atque villas debent ab Epiſcopis ordinari, & poni: ſinguli tamen per ſingulos Titulos ſuos. Et Epiſcopus non ab uno, ſed à pluribus debet Epiſcopis ordinari, & ut dictum eſt, non ad modicam civitatem, ne vileſcat nomen Epiſcopi: ſed ad honorabilem urbem titulandus [1], & denominandus eſt. Presbyter verò ad qualemcumque [g] locum, vel Eccleſiam in eo conſtitutam eſt præficiendus.

[f] Idem eſt Clementis *in Epiſt. proximè citata.* Burch. *l.* 1. *c.* 4. Ivo, *p.* 5. *c.* 58. & 98.

[g] quemcumque. *orig.*

¶ PITH. [1] *Titulandus &c.*] Deſunt in V. C.

IV. *Item* LEO Papa I. ad Epiſcopos [2] Africæ, *Epiſt.* 85. *c.* 2. [an. 442. *Româ in Africam.*]

De eodem.

ILlud ſanè [h], quod ad Sacerdotalem pertinet dignitatem, inter omnia volumus Canonum ſtatuta ſervari, ut non in quibuslibet locis, neque quibuslibet caſtellis, & ubi antè non fuerunt, Epiſcopi conſecrentur: cùm ubi minores ſunt plebes, minoréſque conventus, Presbyterorum cura ſufficiat: Epiſcopalia autem [i] gubernacula nonniſi majoribus populis, & frequentioribus civitatibus oporteat præſidere: ne, quod Sanctorum Patrum divinitùs inſpirata Decreta vetuerunt, viculis, & poſſeſſionibus, vel obſcuris, & ſolitariis municipiis tribuatur Sacerdotale faſtigium.

[h] Polyc. *l.* 2. *tit.* 23. Burch. *l.* 1. *c.* 32. Ivo, *p.* 5. *c.* 107. & 143.

[i] Ext. *de privil. c.* 1.

¶ PITH. [2] *Epiſcopos.*] Addit V. C. *Mauritaniæ Sitifenſis.*

V. *Item* EX CONCILIO LAODICENSI, *c.* 57. [c. an. 320. *in Phrygia Pacatiana.*]

De eodem.

NOn debere in vicis, & villis [k] Epiſcopos ordinari; ſed Viſitatores α, id eſt [3], qui circumeant, conſtitui: hos autem, qui antehac ordinati ſunt, nihil agere cenſemus ſine conſcientia Epiſcopi civitatis. Similiter etiam Presbyteri nihil ſine præcepto, & conſilio Epiſcopi agant.

[k] *al.* caſtellis.

¶ CORR. ROM. α *Sed Viſitatores.*] In codice Græco impreſſo legitur, ἢ περιοδευτὰς, in tribus autem manuſcriptis, ἀλλὰ περιοδευτάς.

¶ PITH. [3] *Id eſt.*] Addit V. C. *eos qui.*

GRATIAN. 2. *Pars.* „ SEDES autem Epiſcoporum non longo intervallo debent disjungi, ut ad conſecrationem ſui Comprovincialis ſine difficultate poſſint occurrere. Unde „

VI. GREGORIUS I. Auguſtino Anglorum Epiſcopo, *reſponſo* 8. [an. 603. *Româ in Angliam.*]

Epiſcopales ſedes non longo intervallo à ſe debent disjungi.

FRaternitatem [l] tuam ita volumus in Anglia Epiſcopos ordinare, ut ipſi ſibi Epiſcopi longo intervallo minimè disjungantur: quatenus nulla ſit neceſſitas, ut in Ordinatione alicujus Epiſcopi convenire non poſſint. Nam Epiſcoporum Ordinatio ſine aggregatis tribus, vel quatuor Epiſcopis fieri non debet.

[l] Pann. *l.* 3. *c.* 16.

CRIMINOSI NON ORDINENTUR: ORDINATI DEPONANTUR.

DISTINCTIO LXXXI.

GRATIAN. 1. *Pars.* „ HÆc de Ordinandis, & Ordinatoribus, atque de ſingulorum graduum diſtinctionibus, & officiis dixiſſe nos ſufficiat. Verùm quia aliquantulùm diffuſiùs in his immorati ſumus, quædam præcedentibus cohærentia ſub epilogo ad memoriam ſubjiciamus. Debet Ordinandus in Epiſcopum (ut Apoſtolus ſcribit [a]) eſſe ſine crimine, id eſt, ſine peccato mortali; quod non ſolùm de Epiſcopo, ſed etiam de quolibet Electo ad aliquam Præpoſituram Eccleſiæ oportet intelligi. Unde ſcribit „

[a] *Ad Tit.* 1.

I. AUGUSTINUS, *tract.* 41. *ad c.* 8. Joannis. [c. an. 412. *in Africa.*]

Sine crimine & gravi peccato debet eſſe, qui ordinatur Epiſcopus.

APoſtolus [b] Paulus, quando elegit ordinandos vel Presbyteros vel Diaconos, & quicumque ordinandus eſt ad Præpoſituram Eccleſiæ, non ait, ſi quis ſine peccato eſt: (hoc enim ſi diceret, omnis homo reprobaretur, nullus ordinaretur: ſed ait [c]: *ſi quis ſine crimine eſt:* ſicut eſt homicidium, adulterium, aliqua immunditia fornicationis, furtum, fraus, ſacrilegium, & cetera hujuſmodi. *Item.* §. 1. Crimen [d] autem eſt peccatum grave, accuſatione & damnatione digniſſimum.

[b] Beda *ad Tit.* 1.

[c] *Ad Tit.* 1. & 1. *Tim.* 3.

[d] Aug. *ibid.* Sup. *diſt.* 25. *c. unum orarium.*

GRATIAN. 2. *Pars.* „ QUOLIBET itaque horum implicatus ordinari non debet; vel ſi jam ordinatus, ante tempus, vel poſt tempus ſuæ Ordinationis aliquod eorum admiſiſſe convincitur, ſuſcepti gradûs officio privabitur. Unde ait „

II. SYMMACHUS Papa [e]. [an. 403. *Romæ.*]

[e] Ex Libello Ennodii pro defenſione Synodorum Romanarum.

Monitoris perſonam non rectè ſuſcipit, qui verbis, non operibus docet.

NEmo rectè Monitoris perſonam ſuſcipit, niſi qui actibus ſuis errata condemnat, & amorem innocentiæ converſatione demonſtrat.

III. *Item* CELESTINUS [1] I. ad Epiſcopos Galliæ, *Epiſt.* 2. *c.* 3. [an. 428. *Româ in Galliam.*]

Careat ordine quem præſtat, qui indignum ſublimare non metuit.

TAntis Daniel gravatus teſtimoniis, tanta facinorum accuſatione pulſatus, ſacrarum, ut dicitur, Virginum pollutus inceſtu, Epiſcopus aſſeritur ordinatus. Et, ut in noſtri [2] libellis ſcrinii continetur, quorum ad vos quoque exemplaria direximus, in Pontificii dignitatem, hoc tempore, quo ad cauſam dicendam, miſſis à nobis literis, vocabatur, obrepſit. Sacro nomini abſit injuria. Facilius eſt, ut hanc Dignitatem tali dando, ipſe amiſerit Ordinator, quàm eam obtineat Ordinatus. Cui convicto ſociabitur, qui ſibi eum credidit, largiendo Pontificium, ſociandum. Qualis enim ipſe ſit, quiſquis tales ordinaverit, oſtendit.

¶ PITH. [1] *Celeſtinus.*] Addit V. C. *omnibus Epiſcopis per Remenſem & Narbonenſem Provinciam.*

[2] *Ut in noſtri.*] V. C. *in noſtris libelli ſcriniis.* Immutata quædam à Chartariis Romanæ Eccleſiæ. Maſſon. *in Hiſt. PP. pag.* 47.

IV. *Item* EX CONCILIO NICÆNO I. *c.* 9. [an. 325. *in Bithynia.*]

Non recipit ordo Eccleſiaſticus eum, qui ſine examinatione, vel poſteà confeſſus ordinatur.

SI qui [f] ſine examinatione promoti Presbyteri ſunt, & poſteà examinati, confeſſi ſunt peccata ſua; & cùm confeſſi fuiſſent [3], contra regulam venientes homines eis manus [4] impoſuerunt; hos Eccleſiaſticus ordo non recipit. In omnibus enim quod irreprehenſibile eſt ſancta [g] defendit Eccleſia.

[f] Rab. *lib. Pœn. c.* 1. Burch. *l.* 2. *c.* 13. Ivo, *p.* 6. *c.* 33. Sup. *diſt.* 24. *c. ult.*

[g] *al.* catholica. *ſic in Epiſt.* 1. *Caliſt.* I.

¶ PITH. [3] *Confeſſi fuiſſent.*] V. C. *confeſſi non fuiſſent.*

[4] *Manus.*] Addit V. C. *temerè.*

V. *Item* EJUSDEM CONCILII, *c.* 10. [an. 325. *in Bithynia.*]

Lapſi, per ignorantiam, aut contemptu Ordinantium, ordinati dejiciantur.

QUicumque ex his, qui lapſi ſunt [5], per ignorantiam ſunt ordinati, vel contemptu α eorum, qui eos ordinaverunt; hoc non præjudicat regulæ Eccleſiaſticæ. Cùm enim compertum fuerit, deponuntur.

¶ CORR. ROM. α *Contemptu.*] Græcè eſt in Concilio vulgato, ἢ καὶ προειδότων τῶν προχειρισαμένων, id eſt, *vel etiam iis anteà ſcientibus, qui ordinaverunt.*

¶ PITH. [5] *Ex his qui lapſi ſunt.*] V. C. *ex lapſis.*

VI. *Item* INNOCENTIUS I. ad Maximum [6], & Severum, *Epiſt.* 5. [c. an. 405. *Româ in Brutios.*]

Alienus fiat à miniſterio, qui illud, vivendo illicitè, polluit.

MAximianus [h] [7] filius [i] noſter agens in rebus hujuſmodi, qualem querelam detulerit, libelli ejus ſeries annexa declarat. Qui zelo fidei & diſciplinæ ductus, non patitur Eccleſiam pollui ab indignis Presbyteris, quos in Presbyterio filios aſſerit procreaſſe. Quod non licere exponerem, niſi noſſem veſtram prudentiam Legis totius habere notitiam. Et ideò, Fratres chariſſimi, libelli, qui ſubjectus eſt, tenore perſpecto, eos, qui talia perpetraſſe dicuntur, jubebitis in medio collocari; diſcuſsíſque objectionibus, quæ ipſis Presbyteris impinguntur, ſi convicti fuerint, à Sacerdotali removeantur officio (quia qui ſancti non ſunt, ſancta tractare [8] non poſſunt,) atque alieni efficiantur à miniſterio quod, vivendo illicitè, polluerunt.

[h] Polyc. *l.* 4. *tit.* 30. Anſel. *l.* 8. *c.* 15. Ivo, *p.* 6. *c.* 96.

[i] *al.* Maximilianus filius.

¶ PITH. [6] *Ad maximum.*] V. C. *Maximo & Severo Epiſcopis per Britios.*

[7] *Maximianus.*] V. C. *Maximilianus.*

[8] *Tractare.*] Sic 2. V. C. al. *tentare.*

VII. *Item* EUGENIUS Papa II. [an. 826. *Romæ.*]

Cuilibet ab ordine depoſito, Epiſcopi providentiâ, locus pœnitentiæ deputetur.

SAcerdos [k], aut quivis alius in ordine Eccleſiaſtico provectus, ſi in eo ſcelere invenitur, quo abjiciendus comprobatur; depoſitus, providentiâ Epiſcopi, benè proviſo loco [9] conſtituatur, ubi peccata lugeat, & ulteriùs non committat.

[k] Anſel. *l.* 5. *in primo.*

¶ PITH. [9] *Benè proviſo loco.*] *Carceres Epiſcopi.* Volaterr. de Eugenio *lib.* 22.

VIII. *Item* EX CONCILIO MOGUNTINO. [fortè Cabilonenſi, an. 813. *in Gallia.*]